

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

Caput VI

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

parvum, oleo singularis virtutis repertum. Coxendicem enim arthritimque & id genus morbos sanare consuevit, ut appareat hanc avem, cum omnibus modis hominum usibus inserviat, quod rarior sit, hoc solo se esse inferiorem. Hactenus Boetius. Nos odorem halecis, dum assatur, emittere, in Scotia dum essemus, percepimus.

CAPUT VI.  
DE ALCYONE, ANA-  
tibus, & avi Emme.

**F**ama est *Alcyones* nidos suos ex durissimis piscium ossibus, & acutissimis spinis fingere, ac rarius nisi supra mare videri, inter falsuginosa maris incunabula. Pariunt circa brumam. Quamobrem quoties bruma serena existit, *dies Alcyones* appellantur, septem ante brumam, septem à bruma. Illis autem nidum conficit; his parit. *Plin. l. 5. c. 8.* Nidi figura pineali assimilatur, aut ventosæ cui collum longum. *Albert.* Propter artificiosam compositionem non facile ferro secatur: *Aristoteles* tamen si manu atteratur & confricetur, ac una ferro tundatur, facile confringi ait. Mare illum ne intret ostiolum ex intumescente spongiæ instar materia, construit, tumore claudente: Ab ingressuris comprimitur, & aquam exudans, præbet aditum. Tantus fœminarum erga maritos amor, ut semper iis adsint, humeris suis in gravida ætate portent; qui tandem in coitu obeunt. *Plutarch de Solert. animal.* *Anates* domesticæ omnibus fere sunt notæ. Lybicæ mediæ sunt inter Anserem & Anatem magnitudinis. Membrum genitale habent tam magnum, ut digiti unius crassitudinem, aut quinque longitudinem æquet, sanguinis instat rubrum, *Bellon.* Ova illarum si ad solem despicias, deprehendes in fumo nigredinem, quæ in earum rostris. *Scaliger.* Nullam emittunt vocem, quamvis & pulmones & arteriam habeant. Alturus numerosum illarum gregem, duas nostrates singulis maribus destinet; sic magnum

ovorum numerum patient. Sed ita geniti pulli, nullam postea sobolem procreabunt, ut alia animalia, quæ ex diversis generibus nascuntur. Sunt in Ancyra, quæ voce cornuum imitantur sonitum, qualia inflare solent per dispositos equos iter facientium duces. *Auger.* Libertatis tam sunt amantes, ut per totum triennium in corbe nutritæ, si occasio detur, aufugiant. Ferarum in Septentrione tanta est copia, ut cunctas ferre aquas cooperiant. Nonnisi autem in tepidis vivunt. Ne hyeme glacie constringantur, naturæ instinctu circulariter & obliquè natantes, eas apertas servant, tantumque vociferantur, ad magnam viarum inde audiantur distantiam, Frigoris superatæ vehementia, in sublime elatæ, mare petunt. *Olaus lib. 19. c. 6. Avem Emme.* Hollandi ex Iava secum adduxere. Cyni duplicem habet magnitudinem, colore nigra, pennisque nigris vestita. Sed ex singulis originibus binæ procedunt, quæ struthionis æmulæ. Alis caret & lingua. In capitis corona, peltam habat duritie testitudinis, peltæ similem. Non poma tantum pugni magnitudine, sed & glaciei frusta, ardentes denique prunas, absque noxa deglutiebat. *Aldrovand.*

## CAPUT VII.

## DE AVE BERNICHIA.

**A**vis est in Britannia, quam Berniclam, Bernichiam & Brantam Angli appellant, Scoti nomine *Clakguse* dignantur. Fero est anseris minor, pectore aliquotusque nigro, cætero cinereo. Anserum ferorum modo volat, strepit, paludes frequentat, & fegetem depopulatur. De ortu illius magna est inter doctos controversia. Nam quidam ex putrescentibus lignis, quidam ex pomis, quidam ex fructu foliis conglomeratis simili, qui cum oportuno tempore decidit in subjectam aquam, reviviscit, convertiturque in avem vivam, orti existimant. Crescit illa  
in